ne illa cui tu dederas. SOS. nescio. CH. quid renuntiavit olim fecisse se
SOS. id quod iusseram. CH. ei nomen mulieris cedo quid sit ut quaeratur. SOS.
Filterę. SYR. ipsa est. mirum ni illa salua est et ego perii. CH. Sostrata se
quere me intro hac. SOS. ut praeter spem euenit quam timui male ne nu[nc]
animo ita esses duro ut olim in tollenda chreme. CH. non licet ho[minem]
esse saepe ita ut uult si res non sinit nunc ita tempus est mihi ut cupia[m]
filiam olim nihil minus. SYRUS SERUUS.
SYR. Nisi me animus fallit haud multum a me aberit infor
tunium ita hac re in angustum oppido nunc meae coguntur cop[iae]
nisi aliquid uideo ne esse amicam hanc gnati resciscat senex nam qu[od]
de argento sperem aut posse postulem me fallere nihil est triumph[o]
si licet me latere tecto abscedere crucior bolum tantum mihi esse ere[p]
tum tam subito ex faucibus quid agam aut quid comminiscar ratio de
integro ineunda est mihi nihil tam difficile est quin quaerendo in
uestigari possiet quid si hoc nunc sic incipiam nihil est quid si sic
tantundem egero at sic opinor non potest immo optume habeo
optumam retraham hercle opinor ad me idem illud fugitiuum ar
gentum tamen. CLINIA ADULESCENS SYRUS SERUUS.
CLI. Nulla mihi res post hac potest iam interuenire tanta quae mi
hi aegritudinem adferat tanta haec laetitia oborta est dedo patri
me nunc iam ut frugalior sim quam uult. SYR. nihil me fefellit
cognita est quantum audio huius uerba istuc tibi ex sententia tua
obtigisse laetor. CLIN. o mi syre audistin obsecro. SYR. quid ni
qui usque una adfuerim. CLIN. cui aeque audisti commodi quicquam

License: cc-by-nc-sa – Lyon, Bibliothèque municipale, 788 (olim 706), LyonBM788_124_93V – Fragments of manuscripts from Lyon's cathedral library (https://fragmentarium.ms/view/page/F-u6r6/337/4976)